

Perseus und Andromeda

Ov. met. 4,663-752

*Cluserat Hippotades aeterno carcere ventos,
admonitorque operum caelo clarissimus alto
Lucifer ortus erat: pennis ligat ille resumtis* 665
*parte ab utraque pedes teloque accingitur unco
et liquidum motis talaribus aëra findit.
gentibus innumeris circumque infraque relictis
Aethiopum populos Cepheaque conspicit arva.
illic inmeritam maternae pendere linguae* 670
*Andromedan poenas iniustus iusserat Ammon.
quam simul ad duras religatam bracchia cautes
vidit Abantiades (nisi quod levis aura capillos
moverat et tepido manabant lumina fletu,
marmoreum ratus esset opus), trahit inscius ignes* 675
*et stupet et visae correptus imagine formae
paene suas quater est oblitus in aere pennas.
ut stetit, ,o' dixit ,non istis digna catenis,
sed quibus inter se cupidi iunguntur amantes,
pande requirenti nomen terraeque tuumque,* 680
*et cur vincla geras.' primo silet illa nec audet
adpellare virum virgo manibusque modestos
celasset vultus, si non religata fuisset;
lumina, quod potuit, lacrimis inplevit obortis.
saepius instanti, sua ne delicta fateri* 685
*nolle videretur, nomen terraeque suumque,
quantaque maternae fuerit fiducia formae,
indicat, et nondum memoratis omnibus unda
insonuit, veniensque inmenso belua ponto
inminet et latum sub pectore possidet aequor.* 690
*Conclamat virgo; genitor lugubris et una
mater adest, ambo miseri, sed iustius illa,
nec secum auxilium, sed dignos tempore fletus
plangoremque ferunt vinctoque in corpore adhaerent,
cum sic hospes ait: ,lacrimarum longa manere* 695
*tempora vos poterunt, ad opem brevis hora ferendam est.
hanc ego si peterem Perseus Iove natus et illa,
quam clausam inplevit fecundo Iuppiter auro,
Gorgonis anguicomae Perseus superator et alis
aetherias ausus iactatis ire per auras,* 700
*praeferrer cunctis certe gener; addere tantis
dotibus et meritum, faveant modo numina, tempto:
ut mea sit servata mea virtute, paciscor.'*
*accipiunt legem (quis enim dubitaret?) et orant
promittuntque super regnum dotale parentes.* 705

*ecce, velut navis praefixo concita rostro
sulcat aquas iuvenum sudantibus acta lacertis,
sic fera dimotis impulsu pectoris undis;
tantum aberat scopulis, quantum Balearica torto
funda potest plumbo medii transmittere caeli,* 710
*cum subito iuvenis pedibus tellure repulsa
arduis in nubes abiit. ut in aequore summo
umbra viri visa est, visa fera saevit in umbram,
utque Iovis praepes, vacuo cum vidit in arvo
praebentem Phoebos liventia terga draconem,* 715
*occupat aversum, neu saeva retorqueat ora,
squamigeris avidos figit cervicibus ungues,
sic celeri missus praeceps per inane volatu
terga ferae pressit dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curvo tenuis abdidit hamo.* 720
*vulnere laesa gravi modo se sublimis in auras
attollit, modo subdit aquis, modo more ferocis
versat apri, quem turba canum circumsona terret;
ille avidos morsus velocibus effugit alis,
quaque patet, nunc terga cavis super obsita conchis,* 725
*nunc laterum costas, nunc, qua tenuissima cauda
desinit in piscem, falcato vulnerat ense.
belua puniceo mixtos cum sanguine fluctus
ore vomit: maduere graves adspergine pennae.
nec bibulis ultra Perseus talaribus ausus* 730
*credere conspexit scopulum, qui vertice summo
stantibus exstat aquis, operitur ab aequore moto:
nixus eo rupisque tenens iuga prima sinistra
ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
litora cum plausu clamor superasque deorum* 735
*inplevere domos: gaudent generumque salutant
auxiliumque domus servatoremque fatentur
Cassiope Cepheusque pater; resoluta catenis
incedit virgo, pretiumque et causa laboris.
ipse manus hausta victrices abluit unda,* 740
*anguiferumque caput dura ne laedat harena,
mollit humum foliis natasque sub aequore virgas
sternit et inponit Phorcynidos ora Medusae.
virga recens bibulaque etiamnunc viva medulla
vim rapuit monstri tactuque induruit huius* 745
*percepitque novum ramis et fronde rigorem.
at pelagi nymphae factum mirabile temptant
pluribus in virgis et idem contingere gaudent
seminaque ex illis iterant iactata per undas:
nunc quoque curaliis eadem natura remansit,* 750
*duritiam tacto capiant ut ab aëre, quodque
vimen in aequore erat, fiat super aequora saxum.*